

05

A

809





DISSERTATIO INAUGURALIS,

DE

TRADITIONIBUS
PONTIFICIIS,

Quæ ex propriis Pontificiorum fun-
damentis evertuntur,

MODERANTE

CASPARE LOESCHERO,

SS. Theol. Doctore, ejusdemque Profess.
Publico Ordinariò, Consistorii Ecclesiastici Assesso-
re, Animarumque Eccl. Witteb. Pastore & Superin-
tend. Generali,

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI,

PRO LICENTIA

SUPREMUM IN THEOLOGIA GRADUM
consequendi,

D. XIX. Februar. A. E. C. M. DC. XCI.

solenniter publiceque;

Horis ante- & pomeridianis,

ex Cathedra Lutheri,

proposita & defensa

à

FRIDERICO FABRICIO, Stetinensi,

SS. Theol. Candidato, & in patria ad ædem S. Nicolai Pastore.

WITTEBERGÆ, Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.



DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
TRADITIONIBUS
PONTIFICIS

Quae ex propriis Pontificiorum sur-
titulis sistuntur
MODERANTE

CASPARO WESCHERO,
S. Theol. Doct.
Publico Ordinario
et Administratore
Pastoris & Super-
visoris



50 A 208

IN ACADEMIA VIETBERGENSI
PRO LICENTIA
SUPERIUM IN THEOLOGIA GRADUM
conferendi

D. XIX. FEBRUARII M. DC. LXXI.
solenniter publicè
Hoc aut. & confirmatum
ex Cathedrali Tabula
proposita & lecta

FRANCISCO FABRICIO Steinens.
S. Theol. Candido & in part. ad eum S. Theol. Licentia

WITTEBERGAE, Typis Christiani Christiani





DISSERTATIO INAUGURALIS,
DE
TRADITIONIBUS PONTIFI-
CIIS, SEMET IPSAS
EVERTENTIBUS.

I.

DE Traditionibus Pontificiis acturi, eum nobis proposuimus scopum, ut & quàm lubricæ ruinosæque eadem sint, demonstraremus, & id ex propriis Pontificiorum hypothefibus deduceremus, certi, non aliam esse viam ad convincendos hæreticos æquè planam, quàm si propriò jugulentur gladiò, suisque adeò principiis, quæ intimè imbiberunt, tenaciterque tenent & defendunt, confundantur. Sua enim & optimè cognita habent, & teneriùs amant, & ad mortem usque defendere satagunt, unde, quæ iis infliguntur vulnera, & fortiùs hærent, & vehementius ardent, inque ipsa vitcera se insinuant, felicique progressu suo,

A 2

suo,

suò, si præprimis in homines veritatem amantes inciderint, non tam facilè frustrantur, quàm aliàs fieri communiter solet, ubi periculum & dolor non tam in visceribus, quàm in externis corporum partibus, aut in ipsâ duntaxat cute hæret. Poterat mater illa pati, ut alterius infans moreretur, at verò ut proprius interficeretur, id verò perpeti non erat ipsi possibile. 1. Reg. III. 26.

II. Selegimus ideò Pontificiorum Principia, cumque in iisdem Concilium Tridentinum, tanquam reliquorum omnium Alpha & Omega deprehenderemus, iussimus illud, volentibus ita Adversariis, primum obtinere locum, & inde nata est nobis non adeò pridem in præsentia materia Dissertatio prima. Cum enim non ignoraremus, quantæ authoritatis apud Pontificios Concilium illud sit, quod & §. X. p. 5. & §. XI. p. 7. Dissertationis primæ innuimus, meritò eidem primum assignavimus locum, periculum facturi, quò successu ex eodem Adversarii depugnari possint. Et factum quidem illud, si quid intelligimus, non infeliciter est, nobisque adeò animum addidit, ut ad alias quoque pugnas & certamina nos accingere-mus, Jonathanem secuti, qui pugnam feliciter cœptam non infelici manu continuabat. 1. Sam. XIV. 13. seqq.

III.A

III. A Concilio igitur ad Concilia progres-
 suri, id denuò bonâ cum pace Adversariorum faci-
 mus. Quanti verò illi Concilia faciant, cui igno-
 tum est? Cui enim aut non lectum, aut saltem non
 auditum est, quid vel unus *Bellarminus*, nomine
 quidem non suo, sed communi Ecclesiæ sancivit?
 Ita enim is *Tom. II. Controvers. Lib. II. de Conciliis*
cap. II. *Fide Catholicâ tenendum est, Concilia ge-*
neralia à summò Pontifice confirmata, errare non
posse, nec in fide, nec in moribus. Et ne quis ar-
 bitretur, Generalia duntaxat Concilia eandem sibi
 propriam habere auctoritatem, subjungit *cap. V.*
 eadem de particularibus quoque: *Concilia, inqvi-*
ens particularia à summò Pontifice confirmata, in
fide & moribus errare non possunt. Rationem
 hujus rei jam antea, Capite nimirum secundo, red-
 diderat hanc: *Si duo vel tres juxta Matth. XII.*
20. congregati in nomine Jesu obtinent semper,
quod petunt à Deo, nimirum sufficiens medium ad
cognoscenda, quæ necessaria sunt, quanto magis o-
mnes Episcopi, congregati in nomine Jesu? Itaque,
sive pauci, sive multi in eodem nomine congregen-
tur, semper habent assistentem Christum, sed in
congregatione paucorum & privatorum, adest pro
rebus parvis & privatis, in multorum pro rebus
magnis & publicis. &c.

IV. Nec alii dissentiunt. Ita enim *Canisius* pag. 142. Operis Catech. *Præsulum Ecclesie auctoritas, cum in aliis, tum in S. Synodis quam maxime cernitur, ubi de fide ac religione illi non modo definire quædam, sed suo etiam jure ac pro auctoritate Apostolicâ contestari possunt, ac dicere: visum est Spiritui Sancto ac nobis, sicut ex Actis constat primi Concilii Hierosolymis celebrati.* Tantam scilicet vult esse Conciliorum auctoritatem, ut qui se iis opponat, ipsi Spiritui Sancto se opposuisse æstimandus sit. Unde & *Fr. Longus Coriolanus* in Summa Conciliorum pag. 36. scribit: *Sacro sancta Concilia, quæ passim variis Ecclesie temporibus in Spiritu Sancto legitime congregari solent, eam ab initiõ in his, quæ tum ad fidei, tum ad morum institutionem spectant, à Deo vim ac robur procul dubio sortita sunt, ut omninõ nefas sit, in his vel minimum quidem erroris nævum suspicari. Cum enim perpetua Spiritus Sancti presentia, velut individua Sacrorum Conciliorum comes, eisdem suõ lumine affulgeat, quoad veritates orthodoxas irrefragabiliter definiendas illustrantur.*

V. Quin imò tanta est Conciliorum apud Pontificios Auctoritas, ut non solum ea à quibusdã ipsi

ipsius Pontificis authoritati præferatur, quod com-
 munitè in Galliâ fieri solet, confer *Riveti Catholicum Orthodoxum*, pag. 273. & *Tannerum*, Tom. III. Disp. I. q. 4. dub. 8. n. 308. sed & ut ipsi Ponti-
 fices non rarò, quando authoritas eorum in du-
 bium vocata fuit, ad Concilia provocaverint, De-
 cretisqve eorum se submiserint. Ita *Liberius*,
 cùm in causâ Athanasii Constantius Imperator se
 illi opponeret, ad authoritatem Concilii, tanquam
 ad sacram anchoram, profugit, teste *Theodoro*
Libr. II. Hist. Eccles. c. XVI. Ita enim is ad Impe-
 ratorem, cum quo colloquebatur, f. 92. f. dicit:
Judicia Ecclesiastica, ò Imperator, summâ cum
æquitate fieri debent. Quare, si placet pietati
tue, judicium constitui iube. Et paulò post ad
 eundem ait, fol. 94. m. *Ego verò postulo, ut*
primò quidem generalis præcurrat subscriptio,
quæ fidem Nicææ expositam confirmet. Deinde,
ut revocatis ab exilio fratribus nostris, & in se-
des suas restitutis, si ii, qui tumultus in Ecclesiis
nunc excitant, Apostolicæ fidei consentire visi fu-
erint, tunc universi Alexandriam convenientes,
ubi & accusatus ipse & accusatores sunt, & defen-
sor eorum, examinato illorum negotio, concordem
sententiam proferamus.

VI. Ita

VI. Ita *Innocentius* in *Chrysoſtomi* cauſâ non ſuô ſtabat judiciô, quod hodierni faciunt Pontifices, ſed *Oecumenicam Synodum* congregare ſtudebat, teſtante *Sozomeno*, *Libr. VIII. Hiſt. Eccl. cap. XXVI. f. 794. p.* *Epistolâs duas, quas eundem in finem ad ipſum Chryſoſtomum & ad Clerum Constantinopolitanum ſcripſit, recitat Sozomenus locô jam laudatô. In primâ conſolatur Johannem: in alterâ & ad patientiam constantiamque incitat Clerum, & ad prudentiam viam demonſtrat. Quid aduerſus iſta, inquit fol. 796. m. in præſenti faciemus?* Et ſtatim reſpondet, ſuamque animi ſententiam explicans addit: *Necceſſaria eſt cognitio Synodi, quam & nos jam pridem congregandam eſſe diximus. Hæc enim NB. ſola eſt, quæ bujuſmodi tempeſtatum motus ſedare poſſit. Quam quidem ut obtineamus, utile fuerit, medicinam horum malorum ex voluntate ac nutu Dei optimi maximi, & Chriſti Domini noſtri interim exſpectare. Et paulô poſt: Nam & nos diu tumultumque cogitamus, quonam modo œcumenica Synodus congreganda ſit, ut turbulenti motus cœleſtis Numinis arbitrio tandem conquieſcant. Ecce verò, Innocentius hic nec ſibi Synodi congregationem arrogat, nec eandem convocat, nec litigii de-*
ciſo.

cisionem sibi adscribit, sed potius solam Synodum congruum esse medium vult, quô hujusmodi tempestatum motus sedari possint.

VII. Simile quid ex *Hermanni Mutii Chronico XVII.* observavit *Dan. Chamier*, Tom. II. *Panstrat. Lib. XIV. Cap. VII. n. III. §. 300.* Pertinet illud ad recentiora tempora, Seculumque decimum quintum, quod eam ob causam eô magis notandum est. Habet verò ita: *Pontifex Romanus duos Cardinales mittit legatos, qui cum Sigismundo Imperatore agerent communi consilio, de Ecclesiæ labefactata in omnibus suis partibus statu reformando. Cùm autem multa in varias partes disputatum esset, (rectius: disputata essent,) quomodo & quo remediorum genere subveniri in extremo periculo constituto possit, tandem NB. una concordè omnium sententia judicarunt, fieri non posse, quàm generali Concilio.*

VIII. Nec aliam elegit viam *Leo*, in controversiâ Anatolii, qui post Flavianum factus erat Episcopus Constantinopolitanus. Ita etenim ille ad Theodosium Augustum scribit Epist. 33. *Ut, si Constantinopolitanus Antistes in eandem confessionem toto corde consentit, securi, ut dignum est, de Ecclesiastica pace latemur: neque aliquid residere*

B

vide-

videatur ambiguum, ut de superfluis forsitan suspicionibus laboremus. Sin verò aliquid à puritate nostra fidei, atque Patrum auctoritate dissentiunt, Concilium universale intra Italiam, sicut Synodus, quæ ob hanc causam Romæ convenerat, mecum petit, Clementia vestra concedat, ut in unum convenientibus his, qui aut ignorantia, aut timore lapsi sunt, correctionis remediis corrigatur. En tibi denuò fatentem rem, qui Concilium ab Imperatore petit, non ipse congregat: qui in Concilio de fidei sinceritate statuit, non ipse & solus cognoscit aut decernit: qui denique justum sufficiensque cognoscendæ infucatæ orthodoxiæ medium, non cerebrum & scrinium pectoris Papale, sed legitimum Concilium agnoscit, aliisque commendat.

IX. Ex his igitur tantæ auctoritatis apud Pontificios principiis, lubricitatem infirmitatemque Traditionum Romanarum, ab ipsis Adversariis deductam, breviter & perspicuè examinabimus. Cumque id ipsum commodissimè fieri posse videatur, si Bellarmini sequamur vestigia, eadem sectabimur. Ita enim à scopo nobis præfixo & minùs aberrabimus, neque, quod fieri aliàs facile posset, in devia aut inanes degressiones feremur,
& Ad-

& Adversariorum vestigiis pressius inhærebimus, eosdemque proprio gladiò certius feriemus.

X. Et erat sanè vel eam ob causam, præ cæteris, quem sequeremur, eligendus *Bellarminus*, quod & autoritate, & eruditionis fama, & Scriptorum copiâ celebritateque, præ multis aliis emineret, unicusque penè esset, quem passim nobis Adversarii opponere solent. Ita enim *Jacobus Keller*, Jesuita, in Catholico Papatu, quem appellat, Tom. I. Artic. I. fol. 15. a. *Bellarminus, der hochernandte Cardinal/ ob welches Nahmen ihr Prädicanten zittert / wenn ihres nur wollet bekennen.* Et *Cornelius à Lapide* in Scripturæ Encomio, quod Commentariis in Pentatevchum præmisit, n. XXXVIII. Opus Controversiarum Bellarmini vocat *impenetrabile & incomparabile, cui simile à Christi temporibus hucusq; non viderit Ecclesia, ut meritò veritatis Catholicæ (Papisticæ) murus & antemurale vocari possit.* De eo *Clemens Octavus*, à quo ad Cardinalatus honorem evehebatur, fassus est, se eum ideò elegisse, NB. *quod non habeat parem Ecclesia Dei.* Ut proinde à suis dicatur alter *Atbanasius*, alter *Augustinus*, Spiritus Sancti Amanuensis, validus Ecclesiæ Dei colossus, fidei hyperaspistes, & hæresium strator. E-

um *Cardinalis Barberinus*, qui postea, Papa factus, *Urbanus Octavus* vocabatur, viventem adhuc pro *Sancto* habuit. Quid? quod ipse Bellarminus, ut impudentiam suam arrogantiamque eò clariùs proderet, Imagini suæ sequentia verba, à stolidâ arrogantia multùm turgentia, subscribi passus dicitur: *Bellarminus, quam à sacro lavacro innocentiam acceperat, Deo reddidit, nullius sibi vitâ omni mendaciij conscius.*

XI. Ex hoc igitur Semone agemus cum Papistis, ut David cum Goliatho, 1 Sam. XVII. 40. seqq. Agit autem is de Traditionibus, per Conciliorum auctoritatem probandis, Tom. I. Lib. IV. de V. D. Capite 6. Et cùm tantum Conciliorum, tam universalium, quàm particularium numerum habeat, ex quibus Pontificii dogmata sua probare satagunt, non tamen, nisi tria ex omnibus iisdem indagare potuit, quæ adduceret. Quamquam, quod sequentia docebunt, cum ternariò eorundem numero res ita comparata sit, ut duo ultrò se subtrahant, tertium verò, quod reliquum manet, multis nominibus rejiciendum, & inculpati testis loco nullò prorsus modò admittendum sit.

XII. Frustrà igitur hic laboravit Bellarminus, Lectoresque suos decepit, tres testes iis ex tribus

bus Conciliis promittens, nullum verò, qui vadi-
monium constans obire valeat, præstans, quod
pessimæ causæ certissimum indicium est. Et
quemadmodum rei falsitas, per vadimonia deser-
ta, testesque falsitatis convictos, semetipsam pro-
dere solet; ita & Traditionum Pontificiarum nulli-
tas, ut jam in genere Bellarmino respondeamus,
ex eo satis apparet, quod ne unus quidem testis
ex tribus allatis, ejus sit indolis, ut coram veritatis
tribunali, aut sibi, aut veritati constare possit. Ubi
autem omnes testes producti vadimonium dese-
runt, ibi perditam agi causam manifestum est.

XIII. Accedit, quod non solum ab his, ad
quæ provocavit, sed & à reliquis omnibus Conci-
liis, particularibus æquè ac universalibus, Oecume-
nicis juxta atque Nationalibus & Provincialibus &
res ipsa, & ejus Actor Bellarminus, deseratur; id
quod res ipsa probat, & Scriptorum Pontificiorum
ocularis inspectio. Perlusstra enim, obsecro, Bel-
larminum, de tot aliàs Conciliorum testimoniis
gloriantem, thraſonicèque superbientem, evolve
etiam post Bellarminum alios, & ipsi te docebunt
oculi tui, nullum hic esse Concilium, quod à par-
tibus Adversariorum stare aut velit, aut possit;
cum tamen de Verbo Dei scripto, aliisque dogma-
tibus,

tibus, quæ nos in Ecclesiis nostris confitemur & defendimus, Concilia Orthodoxa unumquemlibet non certum, sed certissimum reddere soleant. Accidit ea propter Traditionibus hæc in parte, quod mendacibus Judæis, ad aliorum quidem testimonia contra Christum temerariè provocantibus, sed nec unicum quidem, qui assensum iis præberet, inventibus, Joh. VIII. 48. Quod iterum causæ deperditæ non ultimum indicium esse solet.

XIV. Sed accedemus propiùs ad ipsos testes, eosdemque singulos superficialià quadam industrià examinabimus. *Concilium*, ita disserit Cardinalis locò citatò, *antiquissimum & celeberrimum, Nicænum primum, ex doctrinâ non scriptâ damnavit hæresin Arii, ut disertè testatur Theodoretus Lib. I. Historiæ cap. VIII. Etsi enim quædam Scripturæ poterant adferri contra Arium, tamen, quia Arius etiam præferebat Scripturas, ex doctrinâ non scriptâ, sed tradita per manus Patrum, sibi in Ecclesia succedentium, eum damnaverunt. Hucusque Bellarminus.*

XV. Ut dicamus, quod res est, prodit se hic nimium Traditionum infirmitas. Producit quidem Cardinalis magnum venerandumque
Con-

Concilii Nicæni nomen, quod certè omnes pios Christianos summè venerari par est; sed paria hic facit cum Satanâ, qui contra ipsum Salvatorem universi generis humani, omnisciumque Deum, sanctissimum Dei verbum pro se adducere non erubescerat, Matth. IV. 6. Pari cum successu id quoque Bellarminus facit, decepturus homines, non bonitate causæ, quam pessimam esse nosse poterat & debebat, sed Concilii sanctitate, & maximâ, quâ apud omnes Christianos pollere debet, autoritate. Et profectò, si Concilium illud, aut apertè id diceret, quod vult Bellarminus, aut tacitè tantum, perque legitimas consequentias insinuaret id ipsum, quod Adversarii volunt, indigni essemus nomine Christianò, ni amplecteremur & planè exosculareremur.

XVI. Verùm tantum abest, ut id à Concilio fiat, ut contrarium potius ex eodem deduci facili possit negotiò. Certè, neque de Traditionibus, neque de verbo Dei non scripto, aut hujus generis aliò, loquitur Concilium. Omnia enim, quæ loquitur, ex verbo Dei scripto loquitur. Ex eodem, tanquam ex genuino certoque veritatis orthodoxæ armamentario, contra Arianos, Jesu Christi hostes, pugnat, nihilque planè aut alterit, aut de-

fen-

fendit, aut proponit, quod eidem verbo non sit ex alio consentaneum. Nec obstat, quod & Arius ad idem verbum provocaverit. Non enim videndum, ad quod, sed quo jure, quâve injuriâ ad illud provocaverit. Non spectandum, quid in suas partes traxerit, sed quantum eidem erroneâ suâ interpretatione detraxerit. Non enim utebatur, sed abutebatur Hæreticus verò illò genuinòque & unicò credendi principiò, quod ipsi Adversarii negare ne utiqvam possunt. Neque ideò sapienti homini desperandum est de probatione sapientiæ suæ ex Principiò Rationis, quia stultus æquè ratione est præditus, eademque passim abutitur. Nec abjiciendus pugili gladius est, si videat etiam Adversarium suum gladio munitum esse.

XVII. Quin imò ipse Bellarminus apertè fatetur Lib. IV. de V. D. c. XI. ad sibi objectum Constantinum respondens, eorum dogmatum, quæ ad naturam Dei pertinent, qualia erant illa, de quibus in Concilio Nicæno agebatur, extare in Scripturis testimonia, & posse nos circa ea dogmata plenè & planè institui ex Scripturis. Id si verum est, perperam Patres, neglectis Scripturis, ad malè fundatas Traditiones se contulissent; nam ne ipsi quidem hodiè Papistæ ad Traditiones confugiunt, nisi

nisi ubi deficiunt Scripturæ. Stolide enim furfure
veiceretur, qui farinâ & pane abundat.

XIIX. Neque verum est, quod *Theodoretus*
testetur, Arium Traditionibus convictum damna-
tumque esse. Audiamus testem ipsum. Recitat
scilicet is loco jam citato partem Epistolæ Atha-
nasii ad Afros, in quâ sequentia habentur, fol. 28.
& 29. edit. Valeſianæ: Καὶ ὁ γογγυσμός τε αὐ-
πῶν, ὅτι ἀγραφοί εἰσιν αἱ λέξεις, ἐλέγχεται
παρ' αὐτῶν μάταιον. Ἐξ ἀγραφῶν γὰρ ἀσε-
βησαντες, ἀγραφα γὰρ τὸ ἐξ ἑν ὄντων, καὶ τὸ
ἦν ποτὲ ὅτε ἑν ἦν, αὐπῶνται διότι ἐξ ἀγραφῶν
μετ' εὐσεβείας νοσμένων λέξεων κατεκρίθη-
σαν. &c.

XIX. Posteriora hæc verba *Job. Christo-*
phorsonus, Interpres notæ non optimæ, (vide
Petr. Dan. Huetium de Interpretatione pag. 289.)
ita transtulerat: *Quapropter ex non scriptis vo-*
cibus, piè tamen excogitatis, condemnati sunt.
Chamier Tom. I. Panl. Lib. IX. Cap. XVII. n. IV. &
V. f. 163. translationem hanc ut falsam & erroneam
reprehendit, partim quod τὸ ἐννοσμένων, voces
intellectas significans, per *excogitatas* reddide-
rit; partim quod vocem ἀγραφῶν loco τῶ ἐγ-
γραφῶν substituerit, adeoque non *scriptas* pro
scri-

scriptis posuerit. Unde ita in eundem invehitur: Sed tamen ex doctrinâ non scripta damnatum, fuisse Arium, disertè testatur Theodoretus. Imò nusquam Theodoretus. Quis igitur? Christophorsonus, qui cum sua Critica nimis indulget, imò verò suam Criticam inflectit in Papismi gratiam, Theodoretum nobis hòc locò & corrumpit Græcè, & pervertit Latinè; ut haberent Jesuita, quò sibi delitias facerent. Hæc Chamier.

XX. Et negari quidem non potest, & Textum Græcum pro varietate Codicum varium esse, & Interpretes malè inter se convenire, unde & ipse Chamier numero VI. & VII. tam ex Athanasio ipso, quàm ex Eusebio, eundem locum ita repetit, ut fatendum ipsi sit, textum Græcum aliter apud Theodoretum, aliter apud Athanasium, & aliter denique apud Eusebium legi. Quin imò tandem addit: *Harum lectionum utram utri præferam, non facile dixerim. Sed certè correctio est inepta Christophorsoni, quæ significat, ideò ad non scripta confugisse Patres Nicenos, quia Ariani etiam non scriptis pugnarent. Quæ ratio absurdissima est, & contradicit Bellarmino, qui propterea Synodum usam esse asserit Traditione, quod Arius Scripturas etiam proferebat.*

XXI, Et

XXI. Et ne quis crisin hanc vitio vertat. Chamiero Calviniano, observandum est, eadem penè observasse ad eundem locum *Henricum Valesium*, Papistam valdè pertinacem. Ita enim is, in Annotationibus ad locum Theodoretici citatum, f. 10. D. differit: *Pessimè hunc locum verterunt Christophorus & Sirmundus, qui dictiones piè excogitatas interpretantur. At qui Nicani Patres nullas voces excogitarunt, sed usi sunt vocibus, quæ aut in sacra Scripturâ legebantur, aut ab antiquis Doctoribus fuerunt usurpatae. Verùm si manuscriptos Codices consulissent, veram hujus loci Scripturam deprehendissent. Certè in Codice Allatii, & in Editione Basileensi, legitur $\nu\omicron\varsigma\mu\acute{\epsilon}\nu\omega\nu$. Ita quoque legitur in vulgatis editionibus Athanasii ac Nicephori. Sed & Epiphanius Scholasticus ita legerat. Sic enim vertit: Præterea ex non scriptis sermonibus, piè tamen intellectis, damnati sunt. Intelligit autem Athanasius vocem $\omicron\mu\omicron\gamma\sigma\iota\omicron\nu$, quæ in sacris quidem Scripturis non extat, ab antiquis tamen Scriptoribus fuerat usurpata, ut docet Eusebius in Epistola ad Casarienses.*

XXII. Ob rationes has, idem Valesius integrum illum textum ita nobis in editione suâ verum dedit: *Quod autem obmurmurant, voces il-*

las in Scripturis non reperiri, ex ipsismet inanis esse convincitur eorum obmurmuratio. Nam cum ipsi verbis non scriptis ad impietatem suam abusi sint: nusquam enim scriptum est illud, ex non extantibus, & illud, fuit tempus, cum non esset, damnatos se queruntur ex verbis non scriptis, piè tamen intellectis. Quæ ipsa Versio, ut multum abit ab illa Christophorsoni, ita Traditionibus planè nil favet, quod & annotatio numero antecedente citata docere potest.

XXIII. Sed inq̄uemus hæc, & rem potiùs ipsam contemplabimur. Orthodoxi scilicet, ut Arianos eò fortiùs stringerent, certos ex scripturâ terminos per bonam legitimamq̄ve consequentiam deducebant, eosq̄ve ad convincendos Hæreticos piè & prudenter adhibebant. Ariani, vim & efficaciam eorum sentientes, aliaq̄ve effugia non invenientes, conq̄verebantur de orthodoxis, quod se non vocibus scriptis, sed non scriptis oppugnant. Nullos enim terminos, nisi quos explicitè & expressè Scriptura contineret, admittere volebant. Orthodoxi contra & ad hominem disputabant, demonstrabantq̄, Arianos eos esse, qui terminis in doctrina de Deo & Christo uterentur, qui non solum non sint ex Scripturâ, sed & eidem contrari-

trariantur; & præterea perspicuè docebant, quâ ratione iidem termini, quos ipsi adhibebant, Scripturæ Sacræ planè convenientes sint, atque adeò se ab intentato crimine purgabant.

XXIV. Docet hoc, quod jam diximus, tota Epistola Athanasii, & integer discursus, qui in eadem inter Orthodoxos & Arianos adducitur, quæ quoniam prolixa est, huc quidem trahi non potuit. Excerptimus tamen ex eadem nonnulla, egregiè huc facientia. Sic enim ex Versione Valerianâ fol. 27. Athanasius: *Cùm Episcopi, qui in unum convenerant, in animo haberent, impias quidem illas voces ab Arianis excogitatas penitus abolere: ex non extantibus videlicet, & Filium creaturam esse & facturam; & fuisse tempus, cum non esset; eum denique mutabilis esse naturæ: Scripturarum NB. autem voces omnium consensu receptas conscribere: Filium scilicet ex Deo naturaliter unicum esse: Eumque esse Verbum, Virtutem ac Sapientiam solam Patris, Deum verum, sicut Johannes dixit: & Splendorem gloriæ, ac Figuram Substantiæ Patris, quemadmodum Paulus scribit &c. Et fol. 28. Verum Episcopi, cum hic quoque fraudem Arianorum animadvertissent, bas voces NB. NB. ex sacris voluminibus collegerunt,*

runt, Splendorem, Fontem ac Fluvium, Figuram Substantiæ: Et illud: In Lumine tuo videbimus Lumen: Item: ego & Pater unum sumus. Denique clarius ac brevius scripserunt, Filium Patri Consubstantialem esse. Cuncta enim superius posita eam vim ac significationem habent.

XXV. Quæso verò te quænam hæc Traditio est? quid affertur à Patribus, quod ex Scripturâ non sit, aut cum eâdem neutiquam conveniat? Quid tandem hic reperiri potest, quod Traditionibus Pontificiis, quæ neque in Verbo Dei scripto habentur, neque ex eodem deducuntur, aut deduci possunt, simile sit? Stipes esset, qui hic non intelligeret, Cardinalem ludere in re seriâ. Probare enim debebat, Patres Nicænos non per Verbum Dei, hoc est, neque per id, quod expressè, explicitè, & tot verbis habetur in sacrâ Scripturâ, neque per illud, quod ex vero & nativo Scripturæ sensu exinde per legitimam consequentiam deducitur; sed planè per aliud, quod scilicet nec priori, neque posteriori modo, in Verbo Dei scripto continetur, Arianos convicisse & damnasse; tantum autem abest, ut id faciat, ut potius cum Valesio & aliis fateri eum oporteat, Arianos per Scripturam sacram, orthodoxè intellectam & pro-

posi-

positam, victos fuisse. Unde id necessario concluditur, quod ab initio dicebamus, & Bellarminum prodere suarum Traditionum imbecillitatem, & ipsas quoque Traditiones per fictitias hujus generis Traditiones prodi, quod erat demonstrandum.

XXVI. Et haec tenus quidem satis, ni fallimur, demonstratum est, *Concilium Nicenum primum* Traditiones Pontificias nihil planè juvare, imò obesse iisdem potius, docereque earundem falsitatem. Ordo nunc postulat, ut progrediamur ad *Secundum Nicenum Concilium*, quod communiter *universale Septimum* appellari solet, ad quod non solum *Bellarminus*, sed & *Hosius, Jesuita* in Disputatione Ratisbonensi, aliique plures, in hac Controversiâ provocarunt, & majori quidem cum apparentiâ, veritatisque specie, quàm ad prius fiebat. Videtur enim illud, si oculis minùs acutis consideretur, Adversariorum partes multum confirmare, nobisque adeò contradicere. Unde rei necessitas exigit, ut & ipsius Concilii autoritatem, & verborum ex eo adductorum qualitatem mediocri diligentia examinemus.

XXVII. Quod igitur primò Concilii ejus autoritatem concernit, observandum est, illud ab
 ipsis

ipsis Pontificiis, gravissimas ob causas, pro vero orthodoxoque Concilio non haberi. *Ado* certè *Vienne*nsis, gravis Vir, pius & eruditus, quique non adeò diu post Concilium illud habitum floruit, (habitum enim Concilium est Anno P. C. N. DC CLXXXVII. annotante Bellarmino, pag. 74. & 75. Chronologiæ; *Ado* autem floruit DCCCLXXIX. anno, eodem attestante p. 196. de Scriptoribus Ecclesiasticis,) vocat istud *Pseudo-Synodum abdicatam*, in Chronic. ætate VI. ad an. Christi 794. *Sed Pseudo-Synodus, quam Septimam Græci appellant, pro adorandis imaginibus, abdicata penitus.* Eodem titulo ornatur ab Auctore vitæ Caroli M. à Petro Pithæo, Viro Celeberrimo publicato, qui quando de Synodo Francofurtensi agit, simul innuit, quod *Pseudo-Synodus Græcorum, quam falsò septimam vocaverint, pro imaginibus, rejecta sit à Pontificibus.*

XXII X. Annales Francorum, ab Anno Christi DCCIV. ad DCCC LXXXIII. continuati, idem iudicium de eadem Synodo tulerunt ad An. Christi DCCXCIV. Pseudo-Synodus, inquiunt Græcorum pro adorandis imaginibus habita, falsò Septima vocata, ab Episcopis damnatur. Planè cum his consentit *Anselmus Benedictinus.* Ita

enim

enim scribit ad Annum Christi DCC XCIV. Synodus etiam, quæ paucos ante annos Constantino-
poli sub Helena, & Constantino, filio ejus, congre-
gata, & ab ipsis non tantum Septima, verum et-
iam universalis appellata, NB. ut nec septima, nec
universalis diceretur, habereturque, quasi super-
vacua, in totum ab omnibus abdicata est. Nec
dissentiant in Annalibus & Chronicis ad Ann. Chri-
sti DCC XCIV. Strabus Fuldensis Monachus,
Rhegino Prumiensis, Ursbergensis Abbas, & Her-
mannus Contractus.

XXIX. Consonat etiam *Hincmarus*, Archi-
episcopus Rhemensis, qui quasi dimidiò Seculi
post Synodum Francofordiensem floruisse dicitur.
Is enim Opusc. LV. cap. XX. in Epistola ad Hinc-
marum Nepotem ita scribit: *Septima apud Gra-
cos vocata universalis NB. Pseudo-Synodus, de I-
maginibus, quas quidam confringendas, quidam
autem adorandas dicebant, neutra verò pars NB.
intellectu sano diffiniens, sine auctoritate Aposto-
licæ Sedis, non longè ante nostra tempora Constan-
tinopoli est à quamplurimis Episcopis habita, &
Romã missa.* (NB. Constantinopolim hic pro Nicæa
positam esse per errorem, concedit ipse *Bellarmino*,
Tom. II. Controv. lib. II. de *Imagin.* c. XIV. §. Neq; ob-
D star

stat & c. f. 325. & *David Blondellus* conjicit, Constantinopolis nomen synecdochicè usurpatum fuisse pro *Oriente*, uti sæpè soleant usurpari Romæ, Babylonis, aliorumque locorum insignium nomina pro totis Imperiis. Accedit, quod Synodus hæc Constantinopoli & indicta primùm & inchoata, ob militum verò & populi tumultum, postea securitatis causâ Nicæam translata sit. Confer *Henrici Höpffneri* Saxoniam Evangelicam, Sect. II. Part. IV. cap. III. p. 397.) *quam etiam Papa Romanus in Franciam direxit. Unde tempore Caroli M. Imperatoris, jussione Apostolica sedis, generalis est Synodus in Franciâ, convocante præfato Imperatore, celebrata, & secundum Scripturarum tramitem, traditionemque majorum, ipsa Græcorum PSEUDOSYNODUS destructa, & penitus abdicata est.*

XXX. Si cui adducta hæc testimonia nondum sufficiunt, audiat is *Johannem Dallæum*, ita de tota hac re Lib. IV. de Imaginibus cap. IV. p. m. 436. & 437. differentem : *Idem*, quod *Ado* scilicet Viennensis, & reliqui hæctenus producti testati sunt, *etiam produnt Chronicum Misfiacense, desinens in Annum Domini DCCCVIII. Annales Cænobij Bertiniani, qui desinunt in Annum Domini DCCC LXXXII, & Metenses, Cænobii sancti Arnulfi*

nulsi, qui in Annum DCCCCIII. continuantur. Quibus addendi sunt Francorum Annales manuscripti Tiliij, ab Anno Domini DCCVIII. ad DCCC VII. Annales item Francorum, ex manuscripto Petavii, ab Anno DCCLXIX. ad DCCCVI. Annales Francorum, ex manuscripto Loifelli, ab Anno Domini DCCXLI. ad Annum DCCCXIV. Annales Poetae Saxonici, librò quartò, ad Annum Domini DCCXCIV. Annales Eginbardi; Caroli Vita ab Ademaro, Sancti Eparcbij monacho scripta, ac postremò Aimonius, libro quarto, Capite LXXXV. & Aventinus.

XXXI. Sunt verò testimonia hæc omnia & singula hominum Pontificiorum, Religionique, quam Papæam appellant, pertinaciter addictorum, unde hæc quidem in parte à Pontificiis nequaquam rejici possunt, nisi eò ipsò, Soricum more, se juxta, atque pessimam suam causam, manifestè prodere velint. Erant enim Scriptores laudati, fatentibus, velint, nolint, ipsis Adversariis, ab omni maculâ & labe (uti calumniantur) Lutheranismi penitus remoti & tuti. Tenentur itaque eorundem testimoniis, atque adeò fateri eosdem oportet, aut Synodum illam Nicænam II. fuisse Pseudo-Synodum, quâ res tanti momenti probari

neutiquam possit, aut Authores suos, quos ipsi
 ceu testes identidem producere solent, nauci ni-
 hiliqve esse homines, quibus nulla fides tutò ha-
 beatur; atqve ita utrinqve Traditionum infir-
 mitas clarè satis se manifestaret, Soricumqve mo-
 re proderet.

XXXII. Neqve causæ nostræ quicquam
 nocere potest, quod Adversarii testimonium *Ado-
 nis*, à nobis suprà num. XXVII. laudatum, ex eo
 satagunt nobis eripere, irritumqve reddere, quod
 ajunt, vocabula illa, *pro adorandis imaginibus*, non
 esse conjungenda cum præcedentibus, sed cum
 subsequenibus, interposito connate, hoc modo:
*Pseudo-Synodus, quam septimam Græci appellant,
 pro adorandis Imaginibus abdicata penitus*: ut
 sensus sit: penitus abdicatam esse in defensionem
 adorationis Imaginum, hoc est: facere eam pro
 adorandis imaginibus, adeoque certum suppedi-
 tare testimonium, ab Ecclesia acceptandum. Con-
 fer Tom. VI Concil. Annot. in Concil. Francof.

XXXIII. Respondemus enim primò. Eti-
 amsi concedamus, verborum eorundem, & ean-
 dem dispositionem sive sectionem, & eandem quo-
 que sententiam, quam Adversarii extorquere vo-
 lunt, (quod tan. en. minimè concedendum est,) reve-

revera esse ; faterentur tamen eo ipso Adversarii, Synodum illam ab Adone dictam & habitam esse PSEUDO-SYNODUM. Illud verò ut ab iisdem negari non potest, ita nobis certum est argumentum, ab Adone cæterisque antea adductis, eandem fuisse rejectam & improbatam. Deinde respondebimus Verbis Joh. Dallæi, qui loco antecitato p. 441. sequentia Adversariis reddit : *Quod isti prædicant huius responsionis acumen, id verò crassum & obtusum est, atque huiusmodi, quod neque cum latine lingue usu, neque cum historia veritate consistere potest. Ubi enim unquam vel apud ipsum Adonem, vel apud ullum alium latinum Scriptorem, huiusmodi phrasin legerunt : abdicata est penitus pro adorandis Imaginibus, hoc sensu : eò animò eòque consiliò abdicata est, ut adorentur imagines? Quis verò est usque adeò huius cause Studiò occæcatus, qui non intelligat, illa Adonis verba, vel omninò cassa & inania esse, vel hoc, quod diximus, significare, nempe penitus abdicatam fuisse eam Synodum, quæ à Grecis pro Imaginum adoratione habitata erat?*

XXXIV. Neque aliter eadem verba aut intellecta fuisse, aut intelligi debuisse, docet, post verborum ipsorum naturalem indolem sensumque

adeò omnium, qui præconceptis opinionibus non obstricti, eadem legunt, autoritas quoque sequentium Virorum, pro temporis genio non ineruditorum, qui ea non aliter interpretati sunt. Et *Rbeginonem* quidem, doctum hominem, Adoniq; propemodum æqualem, hoc sensu accepisse verba, Adversarii ipsi fatentur & indignantur. Scripsit autem ita: *Pseudo-Synodus Græcorum, quam pro adorandis imaginibus fecerant, à Pontificibus rejecta est. Nec aliter alii. Unde ex justo zelo scribit Dallæus l. c. p. 442. Quasi verò credibile sit, homines novitios, septingentis post illam ætatem annis natos, adhuc notissimi in hanc causam studij, melius Adonis mentem percepisse, quam Rbeginonem, iisdem cum illo temporibus viventem? vel, quasi Rbegino, quæ de Synodo pro adorandis imaginibus à Græcis quidem facta, à Francofordiensibus verò abdicata scripsit, ea non aliunde, quam ab uno Adone habere potuerit?*

XXXV. Et postquam alia notatu non indigna attulerat, denuò, quæ in rem præsentem apprimè faciunt, addit, & hoc modo negotium illud concludit: *Postremò fac, neque Grammaticæ, neque historiae rationes cum mira hæc Adversariorum glossâ hic pugnare; adeoque Adonis verba,*
merâ

merâ ambiguitate laborare, quis non videt eorum sensum, non ex præjudicijs nostris, sed ex vetustorum Scriptorum testimonijs petendum fore, qui Adonis ævo vixerunt, quosque multò, quàm nos, meliùs ac certius scivisse constat, quæ tum apud Francofordiam à Patribus gesta sunt? Atqui non modo Regino, sed Æeorum Annalium auctor, quos supra laudavimus, disertissimè testatur, quæ Francofordiæ damnata est, Græcorum Pseudo-Synodum pro adorandis imaginibus habitam fuisse. Itaque superest, ut ex consueto lingua latine usu, ex historia, ex Scriptorum illius ævi fide & auctoritate concludamus, Adonis locum, ut nos interpretamur, ita esse accipiendum, hoc nimirum sensu: eam Pseudo-Synodum, quam pro adorandis imaginibus habitam, Septimâ Græci appellant, penitus fuisse abdicatam: non autem, quod isti præter omnem rationem pertendunt, idcirco fuisse abdicatam, ut defenderetur atque constitueretur Imaginum adoratio.

XXXVI. Id verissimum esse, docent Auctores, qui eandem rem recitantes, voce abdicandi insuper habitâ, rem aliis vocibus exprimunt. Strabus Fuldensis voce damnandi utitur: Pseudo-Synodus, inquit, Græcorum, pro adorandis imaginibus habitâ, & falsò septima vocata, ab Episcopis
DAMNA-

DAMNATUR. *Rhegino Prumiensis* vocem rejiciendi adhibet: *Pseudo-Synodus Græcorum*, ait, *quam pro adorandis imaginibus fecerant, à Pontificibus REJECTA est.* Eodem modò Autor Vitæ Caroli M. ex editione *Pitbœi* pag. 256. loquitur. Quod & *Egolismensis* Monachus in vitâ ejusdem Imperatoris fecit. *Hermannus Contractus* vocem *dammandi* cum *Strabo Fuldensi* adhibuit. In Editione enim alterâ, quam, ex Codice Monasterii S. Georgii in Sylvâ Herciniâ, edidit *Ursitius T. V. Scr.* pag. 300. ita loquitur: *Pseudo-Synodus Græcorum, pro adorandis imaginibus habita, ab Episcopis DAMNATA est.* Eadem voce usi sunt *Annales incerti Autoris*, ex edit. P. *Pitbœi* & *Marq. Freberi*, ut & *Mutius* *Rerum Germanic.* Lib. IX. Tom. II. *Pist.* pag. 65. *Svartzhanensis* Monachus in *Chronic.* quod *Ursbergensis* Abbas continuavit, ut & *Altbelmus*, *Benedictinus* Monachus B. *Dionysi* apud *Parisienses*, in *Annalibus Francorum*, cū *Annalibus Rerum gestarum à Carolo M.* è *Biblioth. Justi Reuberi Jcti*, publicatis, *abdicationi* vocē *supervacuam* addiderunt, scribentes, eandem *Pseudo-Synodum*, ut *supervacuam*, esse *abdicatam.* *Paderbornensis* Monachus, qui sub *Arnolpho* Imperatore vixit, in *Annalibus de gestis Caroli M.* lib. V. sic de eodem canit:

canit: *Utque supervacuum spernendam censuit iste.* Et Johannes Aventinus Lib. IV. pag. 198. scripsit: *Scita Græcorum de imaginibus adorandis rescissa sunt.* Quæ omnia & singula abundè contra Adversarios evincunt, Synodum illam, nec veram fuisse, nec ab orthodoxis receptam, sed potiùs *damnatam & rejectam.*

XXXVII. Sed sufficient hæc in præsentiarum de *Adone*, aliisque probatis Autoribus, adduxisse: postulat nunc rei series, ut nonnulla addamus de Synodis, sive Conciliis, demonstremusque, quod & illa Synodum, de quâ hic agimus, damnaverint & rejecerint. Et primò quidem sicò pede prætereundum non est *Concilium Constantinopolitanum*, Septimum & universale dictum. Convocavit illud Constantinus Copronymus, Anno Christi DCCLIV. Locus fuit Urbs Regia Constantinopolis. Apparuerunt CCCXXXVIII. Episcopi. Inchoatum est eodem anno, decimo Februarii die: finitum fuit annò sequente, die Augusti octavo, adeoque per continuos octodecim menses duravit. Res omnis ex divinis oraculis cautè fuit examinata, tandemque conclusum, Imagines non esse adorandas. Quamquam autem negari nequeat, eosdem Patres veros pietatis ter-

E

minos

minos in eo transfiliisse, quod Imagines planè removendas esse statuerint, id tamen præsentì negotio obesse non potest, utpote quo docemus, Concilium hoc, ex CCCXXXVIII. Episcopis congregatum, perque integros XVIII. Menses continuatum, contrariam sententiam tenuisse ei Concilio, quod ex CCCL. Episcopis, iisque nonnullis, iisdemque primariis, è Laicorum cohorte, qualis erat *Tarasius*, ab Irene Constantinopolitanus Episcopus constitutus, constitit, neque per integrum mensem duravit, (incipiebatur enim die Septembris vicesimo quarto, & solvebatur proximi Octobris vicesimo tertio, unde pleraque tumultuosè esse acta, credibile est.) Ut proinde illud prius huic posteriori non debere postponi verosimile sit.

XXXVIII. Multò plus autem valoris Synodo Nicenæ II. detrahit *Concilium Francofordiense*. *Carolus* enim, Francorum Rex, & postea Romanorum Imperator, sub *Magni* nomine clarissimus, postquam iniquissima Pseudo-Synodi Nicænæ conclusa accepit, remque uti par erat, ex verbo divino examinavit, librosque, de quibus postea agemus, de eodem themate in publicum edidit, numerosissimam Synodum Francofordiæ ad Mœnum habuit; convocatis nimirum ex Galliâ, Britannîâ,

tanniâ, Germaniâ, atqve ipsâ etiam Italiâ, CCC. minimum Episcopis, post damnatos, Elipandum Toletanum, ac Felicem Urgelitanum, Episcopos, Synodum quoque Pseudo-Nicæam damnavit, eiqve authoritatem omnem abrogavit. Sic enim habet Canon. II. Concilii Francofordiensis: *Allata est in medium questio de novâ Græcorum Synodo, quam de adorandis Imaginibus Constanti-nopoli fecerunt, in quâ scriptum habebatur, ut, qui imaginibus Sanctorum ita, ut Deificæ Trini-tati, servitium aut adorationem non impende-rent, anathema judicarentur. Qui supra san-ctissimi Patres nostri omnimodis adorationem & servitutem renuentes contempserunt, atque con-sentientes condemnaverunt.*

XXXIX. Hanc Synodum Francofordi-ensem, & magni fieri à Pontificiis, & valdè metui authoritatem ejus, & multa docent, & inter ea hoc quoque, quod omnibus modis laborent, ne ab eâ-dem premantur. Mox enim eandem à suis stare partibus, sine fronte, sine conscientiâ asserunt, id-que in monumentis etiam publicis testatum faci-unt, mox eandem, quibus possunt modis, rejici-unt. Quantum satagunt, ut orbi persvadeatur, suam esse Synodum Francofordiensem, testari po-

test insignis dolus, quem in adornando titulo ejus adhibuerunt. Cape enim ex Tomo VI. Conciliorum, edit. Lutet. apud Morel. ann. 1636. *Concilium Francofordiense provinciale approbatum, quò CCC. circiter Episcopi Elipandum & Felicem, eorumque haresin, qua Felicianam nominatur, condemnarunt, ACTAQVE CONCILII NICÆNI SECUNDI IN CAUSA IMAGINUM CONFIRMARUNT.* Ita scilicet habet Titulus, Concilio ipsi planè contrarius. Tantum enim abest, ut hoc errores Nicænorum confirmaverit, ut potius eosdem datâ operâ omniqve studio rejecerit & damnaverit.

XL. Iniquitas hujus rei adeò commovit *Johannem Dallaum*, ut scribere non dubitaverit: *Idem planè (hoc titulo) fecerunt Adversarij, ac si quis Nicæne Synodi prioris acta hoc titulo ederet: Concilium Nicænum I. universale, quo CCC XVIII. Episcopi Arii dogma contra Filij homoufian confirmarunt. O tempora! ô mores! Proh Dei, atqve hominum fidem! Sed Jacobus Sirmundus, Jesuita, vir istius ordinis longè doctissimus atqve modestissimus, tam fortiter, tamqve ingenuè palàm nuper veritatem confessus est, ut omnis de hac causâ inter nos concertatio supervanea,*
dein-

deinceps futura videatur. Is enim in altero Gallicanarum, quas edidit, Synodorum Tomo, Francofordiensi Concilij Canones sex & quinquaginta exhibuit, quorum secundus is ipse est, quem supra descripsimus. Operi admonitionem ad Lectorem præfixit, quæ & Carolinos de imaginibus libros IV. & hos ipsos Francofordienses Canones veros & legitimos esse agnoscit, usque Nicenam Synodum secundam peti confitetur. Viri eruditissimi verba adscribere opera pretium videtur; Nunc verò, inquit, T. 2. Conc. Gall. Eccl. p. 191. Admonit. ad lect. Et Synodi (Francofordiensem intelligit) Canones, Librosque Caroli, pro legitimis omnes ferè agnoscunt, & de Synodo Nicæna quæstionem fuisse, quod ex libris ipsis patet, similiter consentiunt. Ac de libris sanè Caroli, ut Hincmarum omittam, qui hos à se lectos testatur, inficiari nemo potest, nisi qui Hadriani Papæ ad eosdem libros responsioni, seu confutationi, quæ in omnium manibus versatur, fidem detractam velit. De Canonibus verò, qui sequuntur, quin ii quoque veri sincerique sint, nobis certè propter antiquissimi Codicis autoritatem ambigere non licet, ut de multis ejus seculi Scriptoribus nihil dicam, qui, dum septimam Synodum à Francofordi-

E 3

ensi

ensi rejectam tradunt, secundum hunc Canonem, de quo agimus, tacite significant. Hucusque *Sirmundus*. Vid. *Dall. Libr. IV. de Imaginibus, cap. IV. p. 459.*

XLI. Patet ex his, quantum Pontificii auctoritatem hujus Concilii timeant. Sed sunt tamen, qui id aut planè rejiciunt, aut nervos ei incidere satagunt. Egit de iis accuratè & eruditè, ut solet, *Henricus Höpffnerus*, in Saxonîâ Evangelicâ, Capite III. Sect. III. Part. I. pag. 388. seqq. & *Johannes Georgius Dorschaus*, in Collatione ad Concilium hoc, Sect. III. Capite integro quarto, p. 135. seqq. ubi contra *Svaregium*, *Vasquezium*, *Suriium*, *Biniumque* disputat, & conferri meretur. Idem jucundè & eleganter præstitit *Job. Dallæus*, Lib. IV. de Imaginibus, Capp. V. VI. & VII.

XLII. Accedit, quod Nicæna illa secunda fraudulentîâ non unâ & simplici acta sit. Audiamus denuò *Dallæum*, qui loco citato pag. 366. seqq. ita differit: *Irene, Leonis IV. Imperatoris uxor, viro mortuo, ac impubere filio, rerum in Oriente potita, religionis in Gracia statum tandem immutavit. Mulier enim impotens imagines, quibus oblectabatur impensius, Ecclesiis, unde ejectæ erant, reddere, earumque cultum constituere aggre-*

gredi-

greditur : Ac, ut erat callida, Tarasium quendam, quamquam Laicum, (quod genus ab huiusmodi dignitate Ecclesiae Canones summovent;) tamen, quod idem de imaginibus sentiret, in Constantinopolitanam sedem evehit, tantoque beneficio obstrictum sibi conciliat. Tum Adrianum, Romae Episcopum, scriptis literis de sua voluntate edoctum, sibi adiungit, & alia, quae usui futura erant, providet; tandemque Concilium iis, quae animo agitabat, exequendis, Constantinopolim indicit. Eò legatos misit Adrianus Petrum, S. Petri Archipresbyterum, alterum item Petrum, S. Sabbae Abbatem. Sed cum subolscesset populus Constantinopolitanus, non aliud esse illius Synodi consilium, quam ut imaginum cultum restitueret, sic tumultuatus est, ut neque ab Irene sedari, neque ab iis, qui aderant, Episcopis, conventus haberi potuerit. Itaque, mutato consilio, Synodus Nicaenam translata est, principem Bithyniae urbem, cuius populum continere ac cohibere facilius erat, quam Constantinopolitanum; eo loco omnia ex Irene libidine transacta. Nam qui convenierant CCCL. Episcopi, omnem hanc causam uno, eoque non toto mense, confecerant, Synodo, quae die Septembris vicesimo quarto coepta erat, die
proxi-

proximi Octobris vicesimo tertio solutâ, Anno Christi DCCLXXXVII. habitam Constantinopoli ante annos XXXIII. imperante Copronymo, Synodum confutatam abrogarunt; definieruntque, (Syn. 7. Act. 7. in definit.) Christi, Mariæque Virginis, Angelorum, & sanctorum Virorum imagines, tam de coloribus & tessellis, quam ex aliâ congruente materiâ, proponendas in Ecclesiis, & sacris vasis & vestibus, & in parietibus, ac tabulis, domibus, ac viis, ad honorariam iis adorationem, tribuendam, non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam divinam naturam decet, tribuendam; ita ut istis, sicuti figura pretiosa ac vivifica crucis, & sanctis Evangelii, & reliquis sacris monumentis, incensorum & luminum oblatio ad harum honorem exhibeatur; Anathema postremò in eos decernunt, quicumque ausi fuerint aliter sapere aut docere. Atque ita imagines in Oriente tantulo trium & triginta annorum spatio abrogatæ & restitutæ sunt.

XLIII. Rectè igitur Chamier, Tom. II. Panstr. Lib. IX. Cap. XVII. f. 163. de hac & octava Synodis, quæ à Bellarmino aliisque laudatæ sunt, ait: Ex his Conciliis duo posteriora frustra nominantur; sunt enim idololatrica, nec magis digna, quæ

quæ à Christianis nominentur, quàm Ariminense,
aut Epbesinum λησρινόν, & similia. Quæ omnia
& singula, si rectè expendantur, clarum reddent
illud, quãto perè Pontificii infirmitatem Traditi-
onum iuarum prodant.

XLIV. Eidem Synodo, ob causas allatas, sese
Carolus quoque *Magnus*, anteqvam Francofor-
diense Concilium celebrabatur, masculè opposuit.
Testatur illud præter alia in signe Scriptum, quod
in eadem materiâ concinnatum est, & CAPITU-
LARE CAROLINUM appellatur, à pluribus *Ca-*
pitibus, quæ continet, quatuor enim diversis li-
bris constat. Titulus est sequens: CAROLI MA-
GNI, Regis Francorum & Longobardorum, & Pa-
tricij Romanorum, Filij & Defensoris sanctæ Dei
Ecclesie, Capitulare, de non adorandis imaginibus,
contra Constantini VII. Imperatoris Constantino-
politani, & Hirene Matris decretum, & Synodum
Nicanam II. Pseudo-Septimam Oecumenicam, sive
Universalem: compositum & publicatum in Con-
cilio Francofordiensi, & Hadriano Papæ missum,
Anno Domini DCCXCIV. Summaria librorum
& Capitem prolixè recitat B. Dorschæus, in Dis-
sertatione de Concilio Francofordiensi, Sect. II.
cap. VI. Subsect. I. à pag. 41. usqve ad pag. 51. Ex-
cer-

cerpsit etiam potissima *Job. Dalles*, totumque Cap. II. Lib. IV. de Imagin. iisdem complevit. De Autore, qui scripserit, non consentiunt Autores, unde *Bellarminus* Tom. II. Oper. Lib. II. de Imaginibus cap. XV. sarcasticè scribit, *illum esse alterum Melchisedec, sine patre, sine matre, sine Genealogiâ*; vult tamen *Cassander*, eum esse Albinum Alcuinum Flaccum, Abbatem, Carolo M. à consiliis arcanis, & Secretarium intimum, quod idem quoque ex Matthæo Westmonasteriensi patefecit Goldastus, in Repl. pro Imperio. Editum verò est illud Capitulare ex Bibliothecâ & studio *Johannis Tily*, Meldensis Episcopi, Lutetiæ, ex codice manu exaratò vetustissimo descriptum, quem ipse in Præfatione narrat, in templo quodam majore augustissimo, ac totius Galliæ antiquissimo, repertum fuisse. Facta est publicatio anno superioris Seculi quadragesimo nono.

XLV. Eo illustrius autem hoc documentum est, quò acerbius impugnatur à *Bellarmino*, Tom. II. Oper. Lib. II. de Concil. c. VIII. & Lib. II. de Imaginibus cap. XIV. XV. à *Baronio*, Tom. IX. Annal. Ann. Christi 754. 787. 794. 825. *Vasquezio*, in 3. Thomæ, Disp. 89. Cap. 6. & Lib. II. Disp. VII. Cap. 5. *Nicolao Sanderò*, de Cultu Imagin.

gin. Lib. II. Cap. V. & de Visibili Monarch. Eccles. Lib. VII. n. 613. *Suarezio*, Tom. I. Part. 3. in Thomam, Disp. 54. l. 3, aliisque. Satis enim manifestè sic produnt, quod suæ Sectæ defensoribus fudes sit in oculis. Sed objectionibus eorum satisfecit *B. Dorschaus*, in Collatione citatâ, pag. 51. & sequentibus, aliorum authoritates & rationes non minores, pro eodem Capitulari collectas, attulit pag. 67. seqq. nobisque adeò ferias fecit. Studiosè etiam eandem rem egit *Job. Dallaus* integro Capite III. Lib. IV. de Imaginibus, pag. 380. seqq. Vide etiam *Chamier*. Tom. II. Panstrat. Lib. XXI. Cap. XIII. n. XVII. f. 433.

XLVI. Cæterùm non solos *Francos* cum Carolo M. Synodum illam Nicæam II. rejecisse, sed & *Anglos* ejusdem fuisse sententiæ, probant, quæ hodieque adhuc habentur, eorundem temporum monumenta. Refert namque ex Regis Offæ vitâ *Rogerus de Hoveden*, Part. I. Annal. quæ subnectemus: Anno DCCXCII. *Carolus*, Rex *Francorum*, misit Synodalem librum ad *Britanniam*, sibi à *Constantinopoli* directum; in quo libro multa inconvenientia, & veræ fidei contraria reperiebantur; maximè, quod penè omnium *Orientalium Doctorum*, non minùs quàm CCC. vel

eò amplius Episcoporum, unanimâ assertionem confirmatum fuerit, imagines adorari debere, quod omninò Ecclesia Dei execratur. Contra quod scripsit Albinus Epistolam, ex auctoritate divinarum Scripturarum mirabiliter affirmatam, illamque cum eodem libro, ex persona Episcoporum, ac Principum nostrorum, Regi Francorum attulit. Eadem narrare Matthæum Westmonasteriensem, ad Annum Domini DCCXCIII. testatur Job. Dalaeus loc. cit. pag. 380: Quemadmodum etiam Henricus Spelmannus, Tom. I. Conciliorum Britanniae confirmat, eadem apud Simeonem Dunelmensem, & in Historiâ Roffensi, & in Saxonico Sermone, parte ultima inveniri. Adde Polydorum Virgilium, Lib. IV. Histor. Angl. pag. 74. & 106.

XLVII. Sed & rejecerunt eandem Synodum alii, inter quos eminent Agobardus, Lugdunensis Archiepiscopus, qui integrum librum conscripsit, in quo de toto hoc argumento disputavit; Jonas Aurelianensis, in Opere, quod contra Claudium Hirpanum, sive Taurinensem, confecit: vide Tom. IV. Biblioth. SS. Patrum Part. I. pag. 536. Dungalus, qui in eundem Claudium iisdem quoque temporibus stilum strinxit. Confer. eand. Biblioth. Tom. alleg. Part. 2. pag. 155.
Et

Et *Valafrius Strabo*, eruditus Vir, ac antiquitatis peritus Scriptor, in libro de Rebus Ecclesiasticis Cap. VIII. Consule Tom. X. Biblioth. Patrum pag. 668. Quorum omnium testimonia huc facientia excerpsit & recensuit *Job. Dallæus* loc. cit. integro Capite V. qui à Lectore curioso consuli potest.

XLVIII. Unde, quem aliquoties hucusque laudavimus, *Johannes Dallæus*, Lib. IV. de Imaginibus cap. III. non malè concludit de libris Carolinis: *Continent igitur hi libri, non (quod ait Bellarminus insigni Caroli contumeliâ) unius hominis laici & militis testimonium, sed NB. communem omnium Gallie & Germanie Ecclesiarum vocem; quibus tanti Principis calamo, tanquam efficacissimo ac potentissimo quodam organo, uti placuit ad ea, quæ de hoc fidei capite sentiebant, majori cum dignitate atque auctoritate pronuntianda.* Atque id ipsum loco citato prolixè deducit, simul quoque integris Capitibus VI. & VII. ejusdem libri demonstrat, quod sententia hæc contra Pseudo-Synodum Nicæam non solum in Galliâ per sequentia quoque tempora sit conservata, verum etiam in Græciam ipsam translata, ubi in ipsâ urbe Constantinopolitanâ radices fecundas egerit.

XLIX. Tàm imminutæ igitur, & prope-
modum nullius authoritatis cùm fuerit eadem
Pseudo-Synodus, stipes esset, qui inde non possit
aut velit colligere, tantâ in re, Cultum divinum,
Fideiqve Articulos concernente, non posse stari
eâdem Synodo, & malè provocatum ad eam esse
à Bellarmino, & aliis supra citatis. Quid? quod
eâ ipsâ re se suosqve Traditiones prostituunt ma-
gis prodantqve, quàm ut aliquam eis firmitatem
conciliare possint.

L. Sed sufficient hęc de ejusdem Synodi
autoritate hætenus adduxisse: reliquum nunc est,
ut & verborum qualitatem breviter examine-
mus. Sic autem *Bellarminus*, Tom. I. Controv.
Lib. IV. de Verbo Dei Cap. VI. ex Concilio Nicæ-
no II. cujus rejectio hætenus demonstrata est:
Concilium illud Actione VI. Tomo IV. (vide *Car-
ranzam*, edit. Antvverp. MD LXIX. pag. 250. a. f.)
*Quod autem, inquit, cum multis aliis, quæ in
Ecclesiâ observantur sive Scripturâ, nobis imagi-
num veneratio tradita sit, ab Apostolorum tem-
poribus, latè per historiam traditum est. &c.* Et
postea Actione VII. in fine, (non verò ut Joh. Ba-
ptista des Bois, in Epitome Controvers. Bellarm. Pa-
risiis editâ, Tom. I. pag. 63. a. p. vult. Act. 7. Tom. 4.)
ait:

XLIX

ait:

ait: *Si quis Traditiones Ecclesie, sive scripto, sive consuetudine valentes, non curaverit, anathema.*
 Confer Carranzamp. 256. a. m.

LI. Apparet hic ab initio, provocare Auctores, in erroneâ doctrinâ, de cultu scilicet Imaginum, non ad Scripturam, ex quâ omnia credenda deducenda sunt, sed ad Traditiones: nec aliter poterant. Quoniam enim Scriptura Sacra omnem idololatriam rejicit & damnat, prospiciendum ipsis de alio remedio erat, quo errores suos tegere aliquâ ex parte possent. Nec succurrebat commodius, quàm Traditiones, commune Papistarum asylum, aut *sacra anchora*, ut eandem *Marcus Antonius de Dominis* in Libris de Rep. Ecclesiasticâ Libro V. Cap. V. f. 51. n. XLV. appellat. Illæ enim sunt *volamen illud volans*, quod in visione Zacharias Propheta videbat, Cap. V, 3. 4. *longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum; maledictio scilicet, quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur, (justificabitur:) Et omnis jurans ex hoc similiter judicabitur, (justificabitur.)* Tremellius & Junius reddiderunt: *ut illa, se innocentem asserit.*

LII. De-

LII. Deinde, inqviunt Pseudo-Synodales, *ab Apostolorum temporibus latè per historiam traditum esse, imagines in Ecclesiâ esse venerandas.* Dicunt hoc, sed nihil probant. Historias crepant, sed fabulas narrant. Unde & *Carolus M.* olim, Lib. III. de Imaginibus Cap. XXX. eosdem gravissimè exagitavit, quod apocryphas, & derisione dignas nãnias, in hac causâ plurimas passim adhibuerint. Præprimis verò excanduit Carolus, cum in eodem Concilio Actione IV. legerit, fuisse, qui, cum à fornicationis dæmone impugnaretur, eidemqve petenti, ne B. Virginis imaginem adoraret, juravisset, se nemini id proditurum, remqve omnem postea ad Abbatem Theodorum retulisset, consulens, quid facto opus esset, hoc ab eo responsum tulerit: *Commodiùs tibi est, omnia in civitate lupanaria ingredi, quàm abnegare adorationem imaginis Domini, aut ejus sanctæ Genetricis.* Hæc enim legens Rex Carolus, ex justo zelo exclamavit: *O incomparabilis absurditas! ô exitiabile malum! ô vesaniamul-tis vesaniis præferenda.*

LIII. Hujus furfuris scilicet historiæ, aut potius fabulæ, recitantur ab iis, unde conjici facile potest, ejusdem quoque generis esse sententiam
eam

eam, quæ his fundamentis superstructa est. Et præterea, quæ narrantur, non tam probant, Imagines esse adorandas, quàm habere eas utilitatem aliquam historicam, ut beneficio earum recordari possit Spectator, tam gratiæ, misericordiæque divinæ, quàm pietatis sanctorum hominum, adeoque ad devotionem & pietatem similem incitari; quale est, quando Actione IV. recensetur Gregorii Nysseni Oratio, in quâ de imagine, Isaacum immolandum exhibente, ita ait: *Vidi sæpius inscriptionis Imaginem, & sine lacrymis transire non potui, cum tam efficaciter oculos poneret historiam.* Quis enim non videt hic, Gregorium non adorasse imaginem, sed beneficio ejus in memoriam tantum revocasse, incomparabilem Abrahami fidem, pietatem, charitatem, & obedientiam erga Deum, Deique vicissim amorem erga Patrem & filium, eâque contemplatione adeò accensum fuisse, ut in lacrymas prorumperet, nullò autem prorsus modò imaginem adoraret.

LIV. Unde iidem quoque Patres nil aliud, quam hoc ipsum exinde potuerunt exsculpere, dum pergunt: *Quibus verbis auditis, aliqui Patres dixerunt: Si tanto Doctore historia inspe-*
 G ta pe-

Etā peperit utilitatem & lacrymas, quāto magis rudibus & idiotis utilitatem & commoditatem, afferet? Alij verò sic dixerunt: Si Gregorius, vigilantissimus ad divina oracula, inspectā historiam Abrabæ fleuit, quāto magis Oeconomia incarnati Domini nostri Jesu Christi, Verbi, Dei nostri, à nobis inspecta, ad lacrymas & utilitatem, contemplantes nos adhortabitur? Nil igitur Traditio ea, quā usum imaginum historicum, qui à nemine Orthodoxorum negatur, probat, si quicquam probat. Quæ utilitas neque ad credenda pertinet, neque in controversiā est, adeoque nullo prorsus modo Traditionibus Pontificiis patrocinium præbere potest.

LV. Neque *Imaginum veneratio*, de quā loquuntur Synodales, statim aut *adorationis cultum*, multò minùs Fidei Articulum inferre aut constituere potest; cum *veneratio*, in sensu generaliori accepta, in quo hic deprehenditur, nec *Fidei Articulus sit*, nec *cultum soli Deo debitum* indicet. Veneramur enim Superiores quoscunque, Seniores præcipuè, omnesque illos, qui aut dignitate, aut eruditione, aut arte aliquā, aut insigni quādam virtute, præ cæteris eminent. Quis verò tam fatuus esse velit, ut exinde concludat, veneratio-

rationem illam rem sacrosanctam, neque solùm agendam, sed & credendam esse, illudque consiliū, quod eandem svadeat, aut etiam mandatum, quod illam imperet, esse ideò Verbum aliquod divinum, ipsique divino Verbo æquiparandum, & æquali cum eodem reverentiâ acceptandum? Davus aliquis id fortassis faceret, non Oedipus. Accedit, quòd debita Imaginum, Sanctorum hominum formam ritè exprimentium, veneratio, ex ipsis sacris literis, si non specialiter, generaliter tamen, depromi queat, cui rei vel solum quartum Decalogi Præceptum sufficere potest, ut ad eò ea ipsa veneratio nullius indigeat Traditionis, ceu verbi alicujus divini non scripti. Unde hòc quoque locò Traditionum futilitas foricis more se prodit, nulliusque planè ponderis ex Pontificiorum hypothese esse, demonstrari potest.

LVI. Quò ex fundamentò proinde Synodales Anathema iis dicere possint, qui Traditiones in sensu Pontificio non curent, nos quidem, pro simplicitate nostrâ, nec videmus, nec, quamcunque aut artem, aut vim adhibeamus, exsculpere valemus. Paulus certè planè aliis in rebus, aliòque ex fundamento, hominibus anathema dicere solitus est. Confer 1. Cor. XVI, 22. Gal. I,

8. 9. Oportet graviores adesse causas, quàm quales hic deprehenduntur; oportet delictum, non simplex aliquod, sed gravissimum esse; oportet clarissimum extare Verbum Dei, idque ad salutem valdè necessarium, si ad anathema progrediendum est. Hoc si non fuerit, brutum est fulmen, quod imbellis manus ejaculatur, ridendum magis & spernendum, quàm horrendum & venerandum. Zelus quoque iste non ex Deo, sed ex carne præpoperâ, & affectibus præcipitantibus oritur, Deoque adeò placere minimè potest. Abusus potius, quàm usus, similisque igni peregrino, quò Aaronis filii cultum quidem Deo placentem se oblaturus stolidè sibi persuadebant, sed offerebant sibi exitium, Lev. X. 1. 2.

LVII. Et hæctenus quidem de primò æquè ac secundò actum est testibus, Conciliis nimirum, tam verè Nicænò, quàm Pseudo-Nicænò, demonstratumque simul, quantum præsens negotium patitur, testes eos non attestari id, quod, secundum Bellarminum, aliosque Pontificios, attestari debebant. Concluditur exinde, testes eos non esse testes, frustra quoque adeò ab Adversariis in partes trahi; quin imò testari potius Traditionum nullitatem, & quàm nullò prorsus fundamentò nitan-

nitantur, declarare, Saulis instar, qui à Judæis missus, ut doctrinam de Christo extirparet, Judæorum contra Traditiones propagaret, in Paulum divinitus, præterque Judæorum opinionem, conversus, contraria agebat, Traditiones evertens, Evangelium contra annuncians & propugnans.

LIIIX. Sed restat tertius, ultimusque in hoc testificandi genere testis, *Concilium* scilicet, quod Bellarmino placuit appellare Octavum, de quo scribit: *Idem repetitur in Concilio Octavo, Actione octavâ.* De hoc teste quid statuendum sit, res ipsa docet. Sorex est, semetipsum prodit. Nam primò nec Scripturâ Sacrâ nititur, nec aliò quodam congruo fundamento, sed re quasi benè gestâ, ad Pseudo-Synodum istam provocat, de cuius nullitate hucusque à nobis actum est. Ita enim, juxta *Carranzam*, pag. 273. b. f. & 274. n. p. inquit: *His, qui sumunt divinæ Scripturæ dicta, quæ sunt adversus idola, contra venerandas imagines, anathema.* *Cætera sunt in Synodo septimâ & universali, Actione 7. in fine.* Jam, subruo fundamento, quod factum est in antecedentibus, ipsum quoque ædificium, fundamento superstructum, cadere est necesse. Quin imò non duo testes hæc duo Concilia, sed unum & simpli-

cem constituunt. Posterius enim non tam testis est, quàm referens unum idemque testimonium, à priori latum. Unde pudere decebat Bellarminum fraudis, quàm in cumulandis testibus commisit, ubi nulla planè pluralitas est. Quicquid igitur contra prius Concilium à nobis, aut jam allatum est, aut afferri imposterum poterit, id omne ad tollendum hoc quoque posterius pertinet, quippe quod non tam ipse Jonathan præliator, quàm armiger solum videri potest, 1. Sam. XIV, 6. 13.

LIX. Rectè idcirco *Dan. Chamier*, Tom. I. Panstrat. Lib. IX. Cap. XVII. n. II. scribit: *Ex Conciliis duo postrema*, (septimum scilicet & octavum, quæ illa ipsa sunt, quæ hæcenus examinavimus,) *frustrà nominantur. Sunt enim Idololatrica: nec magis digna, quæ à Christianis nominentur, quàm Ariminense, aut Ephesinum Ἀνεσηνόν, & similia.* Unde & jure merito hoc Concilium in iis numeratur, quæ errarunt. Solum *Gesnerus* eorundem XXIII recenset, è quibus & hoc nostrum non est ultimum. Vide Lib. I. & II. ejus de Concilio pag 94. 97. 102. 113. 135. 142. 149. 151. 162. 168. 227. 152. 153. seqq. 541. 705. 160. 171. 179. 184. 209. 256. 260. 385. 398. 562. 710. 604. 787. 708. Quas cæterum fraudes Pontifex Romanus per suos in eod.

eod. Concilio adhibuerit, ut ad scopum suum per-
tingeret, eos recitavit idem *Gesnerus*, l.c. pag. 604.
seq. qui videatur.

LX. Sanæ igitur mentis haud esset, qui,
defectus hos agnoscens, res credendas, ex Con-
ciliis adeò fallacibus, tanquam certis & non du-
biis fundamentis, deducere satageret. Nos pro-
inde soli divino Verbo, quod *βεβαιότερον* semper
fuit, hodieque constanter permanet, 2. Petr. I, 19.
inhærentes, & simul verbum Dei non scriptum,
in Traditionibus Pontificiis prudenter rejicimus,
& solum verum Dei Verbum, veluti lucernam
splendentem in obscuro loco, usque dum dies il-
lucescat, & Lucifer exoriatur in cordibus nostris,
sanctè pièque observantes, certi sumus Salutis no-
stræ, certi quoque, *Verbum Dei nostri permansu-
rum in æternum*, Esa. XL, 8. *Cælum enim & terra
præteribunt, verba autem Dei nequaquam præ-
teribunt*, Luc. XXI, 33. Æterno igitur Deo, Au-
tori ejusdem Verbi, & gratias agimus decentes,
quod ex plenitudine Gratia suæ verbum illud vitæ
nobis clementer tradiderit, & devotè Eundem ro-
gamus, quò & conservare nobis illud, & ut per i-
dem vitam æternam consequamur, benignissimè
concedere velit, sic enim coram Ipso, imò cum
Ipso, vitam vivemus æternam, & sine omni


FINE.

Paralipomena.

*Martinus Chemnitius, Part. I. Examinis Concilij
Trid. pag. 20. 21.*

Sicut utile est, primam Originem Scripturæ Sacræ considerare, unumquodque enim ex suâ origine rectissime judicatur: ita & hæc observatio multa monebit, quod Disputatio de Traditionibus non scriptis, vel assuendis, vel opponendis Scripturæ, non recens cepit, sed est ipsissima Fanoplia Judaicæ perfidiæ, contra gladium Spiritus, quod est verbum Dei in Scripturâ. Fuisse autem antiquissimis etiam temporibus certamina de Scripturâ & Traditionibus, non est dubium: cum posteri Cham & Japhet, religiones suas, extra & contra Scripturam, palliare & tueri conati fuerunt titulô & prætextû Traditionum, quas à Majoribus per manus accepisse jactitarunt. Sed de iis tantum, quæ manifesta sunt, breviter dicemus. Puritatem sanæ doctrinæ Verbi Dei, apud Judæos tempore Christi corruptam, adulteratam, & depravatam fuisse, historia Evangelica manifestè ostendit. Quòd si originem & causam illarum corruptelarum, cum quidem Sacros Libros Judæi haberent, legerent, & interpretarentur, inquiramus, respondebit historia Evangelica, deberi illas falsis & vanis Traditionibus. Quando enim Scriptura erat manifesta, ut de secundo & quarto Præcepto, opponebant Traditiones, ita ut verba Scripturæ inflecterent ad Traditiones, & ex illis sumerent interpretationem, hõc titulô & prætextu: Dictum est antiquis, sicut exempla extant Matth. 5. 15. & 23. Habebant prætereà multas varias Traditiones, extrâ & præter Scripturam, quarum observationem fingebant ita necessariam, ut eam vel præferrent, vel certè æqvarent Mandatis Dei scriptis, Marc. 7.

Luc. 11. & 18. Matth. 23. &c.



05 A 809


ULB Halle 3
003 767 396



V3-17







30.

AUGURALIS,
 ONIBUS
 ICIIS,
 tificiorum fun-
 rtuntur,
 NTE
 ESCHERO,
 isdemqve Profess.
 ii Ecclesiastici Assesso-
 eb. Pastore & Superin-
 rali,
 TEBERGENSI,
 NTIA
 LOGIA GRADUM
 di,
 C. M. DC. XCI.
 bliceq;
meridianis,
 Lutheri,
 efensa
 ICIO, Stetinensi,
 d ædem S. Nicolai Pastore.
 SCHRÖDTERI, Acad, Typ.